

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Ira ah cum fonte primo

Alia est ira quam impaciencia excitat,
alia quam zelus format; illa ex uicio, hec
ex uirtute generatur.

Ira per uicium oculum mentis ←
excecat, ira autem per zelum turbat.

Si nobis et proximis delinquentibus
irascimur, non peccamus;
si enim sic proximos ut nos amare
precipimur, restat ut sic eorum erroribus
sicut nostris uiciis irascamur.

Gregorius ibidem (libro V. moralium).

→

Sed inter haec sollerter sciendum est
quod

alia est ira, quam impatientia excitat,
alia quam zelus format. Illa ex uitio haec
ex uirtute generatur. Si enim nulla ira ex

uirtute surgeret, diuinae animaduersionis
impetum Phinees per gladium non
placasset. Hanc iram quia Heli non
habuit, motum contra se implacabiliter
supernae ultionis excitauit. Nam quo
contra subditorum uitia tepuit, eo contra
illum districtio aeterni rectoris exarsit.

De hac per psalmistam dicitur:

Irascimini et nolite peccare. Quod
nimirum non recte intellegunt qui
irasci nos nobis tantummodo, non etiam
proximis delinquentibus uolunt.

Si enim sic proximus ut nos amare
praecipimur, restat ut sic eorum erratibus
sicut nostris uitiis irascamur. De hac per
Salomonem dicitur: *Melior est ira risu
quia per tristitiam uultus corrigitur
animus delinquentis.* De hac iterum
psalmista ait: *Turbatus est prae ira
oculus meus.*

Ira quippe per uitium oculum mentis
excaecat, ira autem per zelum turbat quia
quo saltem recti aemulatione concutitur,
ea quae nisi tranquillo corde percipi non
potest, contemplatio dissipatur.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5, 45
(CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.279-80,
ll.121-139).